

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 8

1. (a) Translate:

Christmas descends upon Hogwarts.

festum navitatis Christi appropinquabat. mane medio Decembri die Hogvartenses experrecti invenerunt scholam pedibus compluribus nivis obtectam. lacus autem congelatus est et gemini Vislii poenam dederunt quod globos nonnullos nivis ita fascinaverant ut Professorem Quirrell secuti a mitra aversa semper salirent. striges quae paucae aegerrime per caelum turbulentum iter fecerunt ad epistulas reddendas ad sanitatem Hagrido restituendae erant priusquam iterum avolarent.

omnes initium feriarum animis alacribus exspectabant. quamquam locus communis Gryffindorensis et Atrium Magnum ignes flagrantes habebant, tamen transitus ventosi facti erant glaciales et in auditoriis ventus acerbus fenestras quatiebat. nil peius erat quam classes Professoris Snape deorsum in carceribus habitae, ubi spiritus in nebula ante eos surgebat neque procul a lebetibus calidis aberrabant.

‘maxime me miseret’, inquit Draco Malfoy, hora quadam Potionum, ‘omnium quos necesse est in schola Hogvartensi manere per festum navitatis Christi quod domi repudiati sunt’.

(J.K. Rowling *trans.* Needham)

1. (b) Translate:

A medieval drinking song.

iam lucis orto sidere
statim oportet bibere:
bibamus nunc egregie
et rebibamus hodie.

quicumque vult esse frater,
bibat semel, bis, ter, quarter:
bibat semel et secundo,
donec nihil sit in fundo.

bibat ille, bibat illa,
bibat servus et ancilla,
bibat hera, bibat herus:
ad bibendum nemo serus.

potatoribus pro cunctis,
pro captivis et defunctis,
pro imperatore et papa,
bibo vinum sine aqua.

haec est fides potatica,
sociorum spes unica:
qui bene non potaverit,
salvus esse non poterit.

longissima potatio
sit nobis salutatio:
et duret ista ratio
per infinita secula.

Amen.

2. Prepare:

A seasonal extract from the Latin Vulgate.

[1] factum est autem in diebus illis exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis. [2] haec descriptio prima facta est praeside Syriae Cyrino. [3] et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. [4] ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam civitatem David quae vocatur Bethleem eo quod esset de domo et familia David [5] ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnate. [6] factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareret. [7] et peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio quia non erat eis locus in diversorio. [8] et pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigiliis noctis supra gregem suum. [9] et ecce angelus Domini stetit iuxta illos et claritas Dei circumfulsit illos et timuerunt timore magno. [10] et dixit illis angelus nolite timere ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. [11] quia natus est vobis hodie salvator qui est Christus Dominus in civitate David. [12] et hoc vobis signum invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio. [13] et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: [14] gloria in altissimis Deo et in terra pax in hominibus bonae voluntatis. [15] et factum est ut discesserunt ab eis angeli in caelum pastores loquebantur ad invicem transeamus usque Bethleem et videamus hoc verbum quod factum est quod fecit Dominus et ostendit nobis. [16] et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio [17] videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. [18] et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.